

Divinitus conceditur homini miracula facere propter duo: primo quidem et principaliter ad confirmandam virtutem, quam aliquis docet. Quia enim ea, quæ sunt Fidei, humanam rationem excedunt, non possunt per rationes humanas probari, sed oportet, quod probentur per argumentum divinæ virtutis; ut dum aliquis facit opera, quæ solus Deus facere potest, credantur ea, quæ dicuntur, esse a Deo: sicut cum aliquis defert litteras annulo Regis signatas, creditur ex voluntate Regis processisse, quod in illis continetur. Secundo ad ostendendam præsentiam Dei in homine per gratiam Spiritus Sancti; ut dum scilicet homo facit opera Dei, credatur Deus habitare in eo per gratiam (1). Cum ergo Deus nec decipere nec decipi queat, si quod opus in confirmatione doctrinæ vel virtutis edat, illa profecto verissima est habenda; cumque miraculum verum a solo Deo patrari possit, nec ab alio mendaciter confingi, invictum existit semper argumentum ac sigillum veritatis (2).

Miraculum
semper est
sigillum veritatis.

(1) S. Thom. 3^a p., quæst. 43, art. 1. Cfr. libr. 3.^o *Contr. Gent.*, cap. 99. *Ordo enim inditus rebus.*; usque ad fin. Cfr. Bellarmin. de *Sacrament. in genere*. lib. 1, cap. 14. Card. Lugo, de *Fide*, disp. 2, sect. 2, n. 25.

(2) Præclare in hanc rem scripsit Em. Card. Pie. Episcopus Pietaeviensis: «Le miracle qui appartient à l'ordre des faits, est infiniment plus probant pour les multitudes que tous les autres genres d'arguments; c'est par lui qu'une religion révélée s'impose et se popularise... la plupart de doctrines révélées se donnant elles mêmes pour de mystères, et ne pouvant avoir l'évidence intrinsèque en leur faveur, il en résulte, que le thaumaturge disparu, les objections rationnelles et les lins de non recevoir abondent à l'encontre du révélateur. Guerre donc et guerre à mort au miracle: tel est le mot d'ordre, telle est la consigne de la coalition rationaliste. Pas de raison à alléger. C'est ici un principe premier dont on n'a pas le droit de demander la preuve: le miracle n'existe pas, le miracle n'est pas possible; quiconque admet le miracle devient le transfuge de la raison, le maudit de la philosophie, l'excommunié de la critique; il y a un abîme entre lui et la science positive» (Card. Pie. *Œuvres*, vol. 5, *Troisième Instruction* etc. pag. 106 seqq.)

Utrum autem Deus non quidem de ordinaria, quam dicunt, potentia, sed de absoluta; nec in presenti, sed in alio providentiæ ordine, potuerit verum patrare miraculum ad falsum aliquid confirmandum; disputabant veteres Theologi, quibusdam affirmantibus, negantibus pluribus. Vide Suarez (*de Mysteriorum Vitæ Christi*, disp. 31, sect. 2. *Hæc argumenta*), Ripalda (*de Ente supern.*, disp. 11, sect. 6, n. 33);

ARTICULUS III.

Utrum miracula sunt possibleia.

118. Negavit miraculorum possibilitatem Benedictus Spinoza, quem uno agmine sequuntur rationalistæ, materialistæ, increduli, deistæ, positivistæ, uno verbo naturalistæ omnisque atheorum et impiorum hominum turba: hi omnes nihil volunt supra naturalem rerum ordinem positum agnoscere. Eminent inter miraculorum osores post Spinoza, Voltairius, Tolandus, Emmanuel Kantius, Wegscheider, D. F. Strauss, Renan, Julius Simon Feuerbach, aliique, ac recentissime Petrus Larousse in suo *Dictionario*. Non defuerunt etiam, qui cum Josia Bunsen (1) miraculorum possibilitatem nomine tenus concederent, reipsa denegarent, distinctis duobus miraculorum generibus, quorum alia sint possibleia, impossibleia alia. Inter possibleia autem sola facta insolita complectitur, quæ præter consuetum rerum ordinem naturalium virtute causarum contingunt; impossibleia vero dicit ea omnia, quibus solis ex catholicorum doctrina ratio ac nomen miraculi proprie convenit (2). Miraculorum quoque repugnantiam supponunt omnes illi scriptores, qui eo nervis omnibus contendunt, ut miracula omnia, quæ sacræ Litteræ testantur, tamquam facta naturalia irritò conatu explicant. Jam enim obsoletæ sunt insanæ illæ miraculorum impugnationes, quibus olim impii homines Evangelistis ac cæteris Hagiographis fraudis ac mendacii crimen impudentissime appingebant: veritas enim ac sinceritas narrationis tanto lumine refulsit omnium oculis, ut jam minime liceret tale genus telorum contra miracula intorquere. Veracitatem ergo sacrorum scriptorum fatentur multi christianæ religionis hostes: id unum

Quoniam
negent miracula
esse possibleia.

Lugo (*de Virtut. Fidei divinæ*, disp. 2, art. 1, n. 15 seqq.), Albertin. (*Theologicor. corollar.*, tom. 1, quæst. 3 ex 3.^o *princip. Philos.*, dub. 2) etc.

(1) *Das ewige Reich Gottes und das Leben Jesu*: opus posthumum a M. Holtzmann anno 1865 editum Lipsiæ.

(2) Apud cl. Vigouroux, *La Cosmogonie Mosaique II*, chap. 2. Paris, 1880.

magna gravitate observant, portentosa illa facta, quæ ab illis narrantur, perperam esse intellecta, ob temporum videlicet tristitiam hominumque ignorantiam, qui vera miracula esse crediderunt ea, quæ vere miracula non sunt, sed phænomena mere naturalia, licet extra solitum ordinem posita, ex sola causarum naturalium virtute secundum stas et immutabiles leges profecta. Novum istud non minus stultum bellandi genus aggressi sunt in Germania Joannes Gottfried Eichhorn (1) et Henricus Eberhard Gottlob Paulus (2): quorum primus Veteris, alter Novi Testamenti miracula omnia tamquam facta naturalia interpretanda sibi proposuere (3). Nos veritatem miraculorum, quibus pleni sunt sacri libri, Theologis vindicandam relinquimus, possibilitatem autem omni ope studioque propugnare conabimur; ut decet christianos Philosophos, quibus nihil carius et gloriosius esse debet, quam ut quidquid in servitium catholice religionis ratio naturali lumine disputando assequi potest, evincere totis viribus connitatur.

Miracula
possibilia sunt.

119. PROPOSITIO. **Miracula possibilia sunt (4).**

Prob. 1.^o A posteriori. A facto enim ad posse, ut ajunt, valet consequentia. Atqui ex historiis omni fide dignissimis constat plura facta contigisse in mundo identidem præter et contra ordinem omnem naturalium causarum. Ergo... Verum quia Minor nequit a nobis probari nec defendi, nisi longa instituta disputatione circa sinceritatem ac veritatem sacrorum librorum naturamque ipsorum mirabilium factorum, quæ in eisdem narrantur, de quibus omnibus Theologi copiosissime solent disputare, ad alia nobis magis philosophica argumenta properandum est.

(1) *Repertorium für biblische und morgenländische Litteratur; Allgemeine Bibliothek der biblischen Literatur; Einleitung in das Alte Testament.*

(2) *Philologisch-Kritischer und historischer Commentar über das Neue Testament; Leben Jesu etc.; Exegetisches Handbuch über die drei ersten Evangelien.*

(3) Vide el. Vigouroux. Op. cit. II, chap. 4, 5 seqq.

(4) Fuse de hoc S. Thom. *Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 99; *de Potent.*, quest. 6, art. 1; 1 p., quest. 105, art. 6.

Prob. 2.^o Si Deus est causa essendi aliis omnibus rebus, habetque singularum propriam ac distinctam cognitionem et providentiam, qua illas ad fines suos promoveat, atque ad omnes earum cooperetur actiones, nec denique agit ex necessitate naturæ, potest certissime miracula patrare. Atqui Deus reapse et est causa cæterorum omnium, et providentiam eorum gerit, ac libere operatur. Ergo...

Minor licet jam probata manet quoad primum membrum; tamen quoad omnia tria fuse probanda erit in Theologia naturali tamquam certissima veritas.

Major patet, tum quia fere omnia adversariorum argumenta tandem petuntur, sive ex eo quod mundus sit a se causæque naturales prorsus independentes a Deo et necessario operentur, sive ex eo quod Deus careat libertate agendi in mundo aliter, ac agit servando naturæ cursum (1); tum quia hisce tribus principiis concessis, plane intelligitur, quomodo possit Deus operari præter causas creatas, sicut et ipse operatur in omnibus causis creatis...; et operando præter causas creatas possit operari eosdem effectus, quos eisdem medianlibus operatur et eodem ordine; vel etiam alios et alio ordine; et sic possit aliquid facere contra communem et solitum cursum naturæ (2).

Probatio hæc Angelici Doctoris est: *Hiscæ tribus habitis, inquit, scilicet quod Deus sit rebus naturalibus causa essendi, et quod propriam cognitionem et providentiam habeat de unoquoque, et quod non agat ex necessitate naturæ; sequitur quod potest præter cursum naturæ aliquid agere in particularibus effectibus, vel quantum ad esse, in quantum aliquam novam formam inducit rebus naturalibus, quam natura inducere non potest, sicut formam gloriæ; aut huic materiæ, sicut visum cæco; vel quantum ad operationem, in quantum retinet operationes rerum naturalium, ne agant, quod natæ sunt agere, sicut quod ignis non comburat, ut patet Danielis cap. 3.^o, vel quod aqua non fluat, ut patet de aqua Jordanis, Josue, cap. 5.^o (3).*

(1) Vide S. Thomam *de Potent.* quest. 6, art. 1 ex hoc triplici capite repetentem errorem eripientium Deo facultatem operandi in rebus creatis præter causas naturales vel contra cursum naturæ.

(2) S. Thom. loc. nuper cit. initio corp.

(3) S. Thom. loc. nup. cit. fin. corp.

Dices, quamvis tria prædicta principia concedantur, adhuc non sequi possibilitatem miraculi. Nam est quidem Deus absolute et antecedenter liber; at semel decreto hoc ordine mundano, nequit jam præter istam naturæ cursum agere, nisi velis, ut vel suam retractet æternam voluntatem, vel eandem ipsemet violet.—**Verum respondeo negando** assertum. *Deus enim non facit contra rationes naturales mutabili voluntate; nam Deus ab æterno prævidit, et voluit se facturum, quod in tempore facit. Sic ergo instituit naturæ cursum, ut tamen præordinaretur in æterna sua voluntate, quod præter cursum istum quandoque facturus erat* (1). Verum operæ pretium est, ut probationem istam, quæ firmissima est ac fundamentalis, magis evolvamur, ac sub aliis formis proponamus, ut res tanti momenti magis magisque illustretur. Itaque

Prob. 3.^o Miraculum est opus superans ordinem totius naturæ creatæ; potest autem opus aliquod ordinem totius naturæ superare, vel quoad rei substantiam, vel quoad subjectum in quo fit, vel solum ratione modi, quo fit, secundum primam e divisionibus in præcedenti articulo explicatis. Atqui potest Deus profecto tria hæc operum genera efficere. Ergo...

Prob. Minor. Certum est ex probatis in *Ontologia* (2) non omnia intrinsece possibilia existere, itemque possibilia esse entia hisce creatis perfectiora (3). Ergo potest Deus efficere, quæ superant quoad ipsam rei substantiam ordinem totius naturæ creatæ. Et re quidem vera virtus ac potentia Dei se extendit, qua late patet imitabilitas naturæ divinæ. Atqui naturæ divinæ imitabilitas non est exhausta per hunc mundum, et per effectus intra virtutem naturalium causarum contentas. Ergo...

Præterea sicut Deus omnia creavit e nihilo, ita potest supplere per se omnem creatæ causæ activitatem, atque adeo ipse solus efficere quicquid possunt causæ naturales

(1) S. Thom. loc. nup. cit. ad 6.^{um}, Cfr. 1 p. quæst. 105, art. 6, ad 3.^{um}

(2) Num. 234, pag. 648.

(3) Vide quæ superius scripsimus contra Optimismum, n. 27 seqq. Cfr. disputata in *Ontologia* n. 204 seqq., pag. 588 seqq.

operari; nisi sermo sit de quibusdam actionibus, quæ in suo conceptu involvunt ordinem ad creaturam, qualis est v. g. actio peccaminosa. Absurdum quippe foret omnipotentem causam non posse per se facere id, quod possunt causæ naturales (1). Quare potest Deus ea, quæ naturam superant solum ratione modi, quo fiunt; potest nempe comburere v. g. sine igne, sanare momento temporis, nullo adhibito remedio, efficere, ut lapis sursum levetur, vel suspensus hæreat absque naturali fulcro. Etenim docente Aquinate, *hoc ipsum, quod causæ secundæ ordinantur ad determinatos effectus, est illis a Deo: unde Deus, qui alias causas ordinat ad determinatos effectus, potest etiam determinatos effectus producere per seipsum sine quocumque alio* (2). Ex quo etiam plane sequitur posse Deum ea, quæ naturam superant ratione subjecti, in quo fiunt. Sane cur v. g. secundum naturalem ordinem putridum cadaver anima informari, vel organum corruptum cæci nequit potentia videndi donari? Quia materia illa disposita non est hic et nunc, nec potest per vires naturales statim disponi, ut sit subjectum capax recipiendi animam vel vivendi potentiam. Atqui potest profecto Deus illico materiam apte disponere ad ejusmodi formarum receptionem: sicut initio limum terræ disposuit ad recipiendum spiraculum vitæ cum omnibus sensibus ac facultatibus in Adamo, et quotidie disponit per medias causas naturales semina præparando et evolvendo pedetentim, donec stato tempore generetur homo. Id ergo faciat gloriosus Deus, et illico Lazarus reviviscet (3), et oculi illius, qui cæcus natus fuerat aperientur, ut videant (4), et virga Moysis verti poterit in colubrum coram Pharaone (5).

Prob. 4.^o Potest Deus, stantibus, hisce legibus naturalibus certas actiones certosque modos operandi exigentibus, efficere: α) ut nullus sequatur effectus; vel β) ut effectus producatur, quando non deberet produci, vel producatur longe præstantior, quam naturales causæ postularent; vel γ)

(1) Cfr. S. Thom. 1, quæst. 105, art. 6. Cfr. ibid. art. 2.

(2) S. Thom. 1 p. quæst. 105, art. 1 ad 3.^{um}

(3) *Joann.*, cap. 11.

(4) *Joann.*, cap. 9.

(5) *Exod.*, cap. 7.

ut contrarius effectus existat. Atqui quidquid horum contin-
gat, verum habebitur miraculum. Ergo...

Minor patet.

Major probanda est per partes: α) *stantibus hisce legibus potest nullus effectus sequi, etiamsi adsint omnia praequisita naturalia ad operandum necessaria*. Nam, ut agentes de gene-
re necessitatis naturalium legum notavimus, ordo causarum naturalium hic est, ut agere nequeant nisi cooperante Deo; Deus autem in agendo ad extra, atque adeo in prae-bendo creaturis concursu ad operandum, liber est, ut possit quotiescumque pro infinita sua sapientia ita videbitur, non age-
re, nec concursum ad agendum exhibere. Ergo stantibus hisce legibus potest non sequi operatio vel effectus, qui sequi debuisset: hoc pacto si Deus nolit igni cooperari ad comburendum, mediis flammis homo illaesus abibit. β) *Stantibus hisce legibus potest produci effectus, quando non deberet produci, vel longe praestantior quam par esset*. Nam quamvis is ordo naturae sit, ut effectus naturales non gignantur, nisi ex certis causis certove modo, Deus tamen, qui omnia de nihilo creavit, poterit praeter ordinem naturalium causarum aliquid efficere, et sic multiplicari poterunt quinque pa-
nes, ut quinque hominum millia saturarentur (1), vel e saxo fons, percutiente virga Moysis, scaturire (2), vel manna e caelo plueri inter silentia noctis, quo vescantur filii Israel per desertum (3). Praeterea quamvis Deus concursum suum creaturarum pro specifica varietate viribus et exi-
gentiis accommodet, potest nihilominus etiam virtuosius cooperari causis secundis agentibus. Hoc modo potuit Samson suis manibus dilacerare leonem, quasi haedum in frusta discerpens, et asini maxilla mille viros de Philistiim interficere, concussisque fortiter columnis, quibus innitebatur do-
mus plena virorum ac mulierum, diruere illam, moriens cum ingenti strage Philisthinorum (4).

γ) Denique *stantibus hisce legibus potest existere contrarius effectus*. Nam leges non sunt ipsae actiones, verum normae

(1) Joann., cap. 6.

(2) Exod., cap. 7.

(3) Exod., cap. 16.

(4) Judic., cap. 14, 15, 16.

vel determinationes, secundum quas naturae cum viribus consentaneis operari solent. Quoniam ergo causae creatae, ut secundum praedictas leges operentur, egent divino concursu; si paratis omnibus praequisitis naturalibus decernat Deus concursum consentaneum denegare, simulque transeunter contrariam vim imprimere, vel certe concursum talem exhibere, qualis conveniret causae contrariam virtutem habenti, contrarius sequetur effectus. Sic Eliseus ferrum securis in aquam prolapsae fecit enatare; *Angelus autem Domini descendit cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam ignis, et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, et non tetigit eos omnino ignis neque contristavit, neque quidquam molestiae intulit* (1).

Denique ex doctrina Fidei constat posse Deum miracula patrare, prout saepe testantur sacrae Litterae Patrumque constans traditio, ac tandem definivit Vaticanum Concilium in haec verba: *Si quis dixerit miracula nulla fieri posse, proinde-
que omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit* (2).

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

120. Objic. 1.^o «Id quod Deus vult, sive determinat, aeternam necessitatem et veritatem involvit. Ostendimus enim, ex eo quod Dei intellectus a Dei voluntate non distinguitur, idem nos affirmare, cum dicimus Deum aliquid velle, ac cum dicimus Deum id ipsum intelligere. Quare eadem necessitate, qua ex natura et perfectione divina sequitur, Deum rem aliquam, ut est, intelligere, ex eadem sequitur, Deum eandem, ut est, velle. Cum autem nihil nisi ex solo divino decreto necessario verum sit; hinc clarissime sequitur, leges naturae universales mera esse decreta Dei, quae ex necessitate et perfectione naturae divinae sequuntur. Si quid igitur

(1) Daniel, cap. 30, v. 40, 50.

(2) Concil. Vatican., *Constit. de Fide Cathol.*, *Canones*, parag. 3, *de Fide*, Can. 4; apud Denzinger, *Enchirid.*, num. 1660. Cfr. Syllab. num. 7, apud Denzinger, n. 1154.

in natura contingeret, quod ejus universalibus legibus repugnaret, aut si quis statueret Deum contra leges naturæ agere; is simul etiam cogeretur statuere, Deum contra suam naturam agere, quo nihil absurdius.» Ita Spinoza (1).

Resp. dist. Major. Quidquid Deus vult, æternam necessitatem et veritatem involvit absolute et antecedenter, id est, ita vult omnia ut non potuerit non velle, vel velle aliter, ac vult de facto, *neg.*, conditionate et consequenter, id est supposito quod Deus libere ab æterno decrevit aliquid, jam illud in sensu composito talis decreti, non potest non esse, *conc.*

Neg. Minor, quod nempe nihil sit verum nisi ex necessario decreto Dei; tum quia omnes veritates ordinis intelligibilis essentialia prædicata enuntiantes, tales sunt independentes ab omni decreto vel actu divinæ voluntatis, ut constat ex probatis in *Ontologia* circa essentialium proprietates et internam rerum possibilitatem (2); tum quia ipsa entium actualis existentia licet pendeat a divino decreto, non tamen a decreto necessario.

Consequens *distinguo*. Leges naturæ universales mera sunt decreta Dei formaliter, seu ipsi actus divini intellectus, vel lex æterna subjective spectata, *neg.*: sunt effectus divinorum decretorum, seu participatio legis æternæ (3), *subdist.*; ita ut ex perfectione divinæ naturæ sequatur, quod dentur in creaturis tales leges, *trans.*; quod semper et ubique absque ulla exceptione observentur, *neg.* Tum *neg.* ultimum consequens.

Ad probationem Majoris *neg.* antec. et consequens. Quamvis enim velle et intelligere idem sint re ipsa in Deo, ratione tamen distinguuntur, neque est idem Deum aliquid velle, ac Deum aliquid intelligere: unde quamvis quidquid est, Deus necessario intelligat, prout est hic et nunc, non tamen quidquid vult, necessario vult ita esse, prout est actu; sed potuit aliter velle. Verum de his in *Theologia naturali* agendum est.

(1) *Tract. Theolog. polit.*, cap. 6.

(2) Vide n. 21, et 242; pag. 60 et pag. 673.

(3) Recole superius scripta n. 99, pag. circa rationem et conceptum legum physicarum vel naturalium.

Objic. 2.^o «Cum virtus et potentia naturæ sit ipsa Dei virtus et potentia, leges autem et regulæ naturæ ipsa Dei decreta, omnino credendum est, potentiam naturæ infinitam esse, ejusque leges adeo latas, ut ad omnia, quæ ab ipso divino intellectu concipiuntur, se extendant. Alias enim quid aliud statuitur, quam quod Deus naturam adeo impotentem creaverit, ejusque leges et regulas adeo steriles staterit, ut sæpe de novo ei subvenire cogatur, si eam conservatam vult, ut res ex voto succedant?» Ita iterum Spinoza (1), quem secutus est Voltairius (2).

Resp. neg. prorsus primum membrum asserti, scilicet quod virtus naturæ sit ipsa virtus Dei eaque infinita; id enim pantheisticum est.

Alterum membrum *dist.* Leges naturæ adeo latæ sunt, ut ad omnia, quæ a divino intellectu concipiuntur, se extendant, quoad aptitudinem et quantum est de se, *conc.*; quoad actum, *neg.*: excipiendi enim sunt casus, in quibus Deo placuit, ut ordo naturæ non servaretur.

Probationem autem *nego*, quia quamvis Deus non dedit naturæ infinitam et ineluctabilem virtutem, non tamen impotentem fecit, sed donavit potentia, quæ et naturæ suæ specificæ conveniret, et divino dominio penitus in operando subiceretur, quo dominio Deus exuere se nequit. Præterea leges non ideo suspenduntur in sua executione, quod ineptæ sint ad suum proprium finem, videlicet ad mundani ordinis conservationem, sed quia earum suspensio aptissima est ad altiore finem, quem Deus intendit, ad manifestationem gloriæ suæ confirmationemque veritatis alicujus supernaturalis aut sanctitatis, ad quem finem non est a Deo institutus hic præsens ordo naturalis legumque physicarum constantia, prout jam explicatum est, cum de fine miraculorum ageretur. *Nam præter causas naturales fecit (Deus) ut homo effectum, quem causis visibilibus attribuire non potest, in aliquam superiorem causam reducere cogatur, ut sic ex visibili miraculo divina potentia manifestetur* (3).

(1) *Ibid.*

(2) *Dictionnaire philos.*, art. *Miracles*.

(3) S. Thom. *de Potent.* quæst. 6, art. 1 ad 4.^{am} Hac responsione concedit primum Petri Laroussi aliorumque misellum argumentum ex

Objic. 3.^o Miraculum est violatio legum mathematicarum et immutabilium. Atqui repugnat violatio legum ejusmodi. Ergo.—Hæc etiam obijciuntur a Spinoza et Voltairio aliisque.

Resp. neg. Major.; tum quia legem non violat, qui lege non tenetur; tum quia leges naturæ non sunt immutabiles ac mathematicæ relate ad executionem, quatenus mathematicæ repugnet, quod exceptionem in aliquo casu patiantur, sed tantum ad summum in seipsis seu in sua existentia, quatenus quemadmodum Deus nequit hominem creare, quin legem naturalem eidem imponat, ita non potest quidpiam creare, quin essentialia ordines ac determinationes imprimat ad finem suum assequendum necessarias. Et hæc est confusio satis communis inter miraculorum hostes, et etiam inter quosdam alios auctores, qui cum legem naturæ reponant in ipsa uniformitate operationum, consequenter arbitrantur, cum miracula fiunt, legem ipsam mutari, quia nempe mutatur, vel abruptitur cursus naturæ seu modus uniformis operandi. Verum aliud est lex et aliud uniformis operatio consequens ex lege, seu executio legis vel cursus naturæ, ut suo loco monuimus. Cum miraculum patrat, lex ipsa invariata manet, et solum lex non executioni mandatur; quia quamvis remaneat semper determinatio atque exigentia uniformiter operandi, non sequitur de facto uniformis operatio. Simili modo cum vel homo legem violat, vel legis lator aliquem ab ea dispensat, profecto legem ipsam non mutat, sed ejus executionem suspendit. Totam hanc doctrinam dum tradiderat Aquinas: *Licet Deus faciat aliquem effectum præter actionem causæ naturalis, non tamen tollit ordinem causæ ad suum effectum; unde et in igne fornacis (babilonicæ) remanebat ordo ad comburendum, licet non combureret tres pueros in camino* (1).

Objic. 4.^o Deus miraculum efficiens secum ipse pugnet; nam ex altera parte vellet leges servari, ex altera illarum executionem impediret. Ita D. F. Strauss.

eo petitum, quod miraculum ostenderet opus creationis defectuosum esse, et manu emendatrici artificis identidem egere: quod argumentum laborat ignorantione elenchi summamque argumentum aut ignorantiam aut malam fidem patefacit, ut constat ex dictis de fine miraculorum.

(1) S. Thom. *de Potent.*, quæst. 6, art. 1 ad 20.^{um}

Leges naturæ
per miraculum
non mutantur,
sed tantum
easum
executio
pro eo casu
suspenditur.

Resp. neg. assert. Nam Deus vult quidem leges generaliter servari, et simul decernit pro casu particulari legis alicujus suspensionem propter fines suos altissimos: hæc autem duo minime pugnant inter se, quidquid contendat impius scriptor.

Objic. 5.^o Repugnat aliquid fieri contra ordinem divinæ providentiæ. Atqui miracula sunt contra divinæ providentiæ ordinem. Ergo...

Resp. neg. Minor. Nam omnia continentur sub divinæ providentiæ ordine, et naturalia et supernaturalia, et cursus naturæ et ejusdem exceptiones; quæ omnia contingunt, decernente Deo et ad sanctissimos simul ac sapientissimos fines dirigente, ut patet ex dictis circa causam miraculorum finalem. Præclare rem hanc evolvit Angelicus Doctor: *Ordo... inditus rebus a Deo, secundum id est, quod in rebus frequenter accidere solet, non autem ubique vel secundum id, quod est semper: multe enim naturalium causarum effectus suos producunt eodem modo ut frequenter, non autem ut semper, nam quandoque, licet ut in paucioribus, aliter accidit, vel propter defectum virtutis agentis, vel propter materiæ indispositionem, vel propter aliquod fortius agens; sicut cum natura in homine generat digitum sextum. Non autem propter hoc deficit, aut mutatur providentiæ ordo: nam et hoc ipsum quod naturalis ordo institutus secundum ea, quæ sunt frequenter, quandoque deficit, providentiæ subest divinæ. Si ergo per aliquam virtutem creatam fieri potest, ut ordo naturalis mutetur ab eo, quod est frequenter, ad id quod est raro, absque mutatione providentiæ divinæ; multo magis divina virtus quandoque aliquid facere potest sine suæ providentiæ præjudicio, præter ordinem naturalibus inditus rebus a Deo. Hoc enim ipsum ad suæ virtutis manifestationem facit interdum: nullo enim modo melius manifestari potest, quod tota natura divinæ subjecta est voluntati, quam ex hoc quod quandoque ipse præter naturæ ordinem aliquid operatur. Ex hoc enim apparet, quod ordo rerum processit ab eo, et non per necessitatem naturæ, sed per liberam voluntatem, etc.* (1).

Objic. 6.^o Totus naturæ cursus a divina sapientia procedit, sicut artificata ab arte humana, testante

(1) S. Thom. *Contr. Gent.*, lib. 3.^o, cap. 99 vers. fin.

S. Agustino (1). Sed artifex non facit aliquid contra suam artem, nisi per errorem, qui cadere in Deum non potest. Ergo nec Deus potest aliquid facere contra cursum naturæ, operando miracula.

Resp. Ars divina non tota seipsam explicat in creaturæ productione (secundum naturalem ordinem): et ideo secundum artem suam potest alio modo aliquid operari, quam habeat cursus naturæ. Unde non sequitur. quod si potest facere contra cursum naturæ, possit facere contra suam artem: nam et homo artifex potest aliud artificiatum facere per suam artem contrario modo, quam prius facit (2). Verbo sub arte divina continentur quæcumque Deus facit, sive servato cursu naturæ, sive præter naturalem ordinem.

Objic. 7.^o Tantum se extendit potentia passiva in natura, quantum activa. Atqui non datur activa potentia naturalis, quæ valeat contra cursum naturæ. Ergo nec passiva. Sed repugnat fieri quidpiam, ad quod non est in natura potentia passiva seu receptiva. Ergo repugnat fieri aliquid contra naturæ cursum (3).

Resp. dist. primum conseq. Ergo nec passiva respectu potentia vel virtutis naturalis, *conc.*, respectu potentia infinita et increata, *subdist.*; non datur potentia passiva naturalis, *trans.*, obedientialis *neg.*

Contradist. Minor. subsumptam. Repugnat fieri quidpiam, ad quod non inest naturæ potentia passiva, saltem obedientialis, *trans.*, quamvis posset negari; nam ad creationem non requiritur ulla realis potentia passiva etiam obedientialis. Repugnat fieri quidpiam, ad quod non datur in natura potentia passiva naturalis, *subdist.*; repugnat fieri per potentiam vel causam naturalem et creatam, *conc.*; per infinitam et increatam, *neg.* (4)

Objic. 8.^o Miracula fiunt in bonum hominis, ut dictum est. Atqui repugnat in bonum hominis agere contra naturæ

(1) Super illud S. Joannis cap. 1: *Quod factum est, in ipso vita erat.*

(2) S. Thom. quæst. 6, art. ad 12.^{um}

(3) Vide apud S. Thom. *de Potent.* loc. cit. arg. 18.

(4) Cfr. S. Thom. loc. sup. cit. ad 18.^{um} Recole, quæ scripsimus in *Ontologia* n. 210, 211, 212, pag. 508 seqq.

cursum. Sane repugnat, ut majus bonum dimittatur ob minus bonum. Atqui bonum universi, quod perturbatur, cum aliquid miraculose efficitur contra naturæ ordinem, majus est, quam bonum hominis, quippe quod continetur sub bono universi, tamquam pars sub toto. Ergo... (1).

Resp. neg. Minor. At probation. *neg.* suppositum, videlicet, quod per miraculum perturbetur ordo ipse universalis, ac proinde quod bonum universi totius deseratur propter bonum particulare hominis, aut certe eidem subjiatur. *Quando Deus agit aliquid contra cursum naturæ*, inquit S. Thomas, *non tollitur totus ordo universi, sed cursus, qui est ex ordine unius particularis rei ad aliam. Unde non est inconveniens, si aliquando contra cursum naturæ aliquid fiat ad salutem hominis, quæ consistit in ordinatione ipsius ad ultimum finem universi (2).*

Nec debet hæc ratio frivola reputari, scribit alibi idem S. Doctor, *quod Deus aliquid facit in natura ad hoc, quod Deus se mentibus hominum manifestet; cum supra (3) ostensum sit, quod omnes creaturæ corporales ad naturam intellectualem ordinantur quodammodo sicut in finem. Ipsius autem intellectualis naturæ finis est divina cognitio, ut in superioribus ostensum est. Non est ergo mirum, si ad cognitionem de Deo intellectuali naturæ præbendam, fit aliqua mutatio in natura corporali (4).*

Objic. 9.^o Si Deus miracula posset facere ad altiora sua consilia perficienda; vel potuit illa implere absque miraculis, vel non. Si potuit, quid opus erat miraculis? Si non potuit, ubinam ejus potentia infinita? Miracula ergo derogant divinæ sapientia et potentia (5).

Resp. potuisse Deum absque miraculis sua perficere consilia; noluisse tamen, ut suam ostenderet potentiam in

(1) Vide apud S. Thom. loc. cit. argumento 21; quod postea objecit etiam Voltairius.

(2) S. Thom. loc. sup. cit., ad 21.^{um}

(3) *Cont. Gent.*, lib. 3, cap. 17.

(4) S. Thom., lib. 3. *Cont. Gent.*, cap. 99 fin.

(5) Apud Roselli, *Summ. Philos.* tom. 5, quæst. ult., art. 1, arg. 6.

totam naturam (1). *Hoc enim ipsum ad suam virtutis manifestationem facit interdum*, inquit S. Thomas, *Nulla enim modo melius manifestatur, quod tota natura divinae subiecta est voluntati, quam ex hoc, quod quandoque ipse præter ordinem naturæ aliquid operatur* (2).

Recole quæ superius soluta sunt argumenta contra legum naturalium hypotheticam dumtaxat necessitatem (3). Quæ vero Petrus Larousse novissimæ congerit in suo *Dictionario*, tam stulta sunt tantamque ignorantiam catholicæ doctrinæ cum insigni blasphemia et impietate mixtam produunt, ut supervacaneum iudicem singillatim persequi (4).

ARTICULUS IV.

Utrum vera miracula discerni a naturalibus eventibus queant.

Quinam e-
negaverint
miracula
discerni posse.

121. Negarunt Spinoza, Hume, J. J. Rousseau, Wegscheider, Strauss, Renan, et alii. Difficultas autem hac in re non versatur præcipue circa veritatem historicam facti miraculosi: de illa enim iudicandum est sicut de quodlibet alio historico facto secundum criteria tradita in *Logica*, ubi et sensuum veracitatem et vim testimonii ad faciendam certam quandoque fidem vindicavimus. Difficultas ergo potissimum spectat veritatem, quam dicunt philosophicam: quamvis enim de facto aliquo constet, dubitari potest de natura facti, utrum nempe sit illud reapse miraculosum in se. Et ratio est, quia cum nemo perspectas habeat omnes leges naturæ, timere jure merito potest, utrum factum, quod aut ipse suis oculis perspicit, aut ab aliis fide dignissimis narratum audit, vel legit, vere ordinem naturæ superet, an vero ex occulta ignotave quadam lege promanet. Enimvero quot nunc facta videmus naturalia in multiplici applicatione agentium

Rei difficultas.

(1) Vide Roselli, loc. cit., ad 6.^{um}

(2) S. Thom., *Cont. Gent.*, libr. 3, cap. 99.

(3) Num. 108, pag. 181.

(4) Idem dicendum de aliis recentioribus, quorum inanissimas objectiones vide solutas a P. De Bonniot in suo opere *Le Miracle et ses Contrefaçons*.

physicorum, calor, electricitatis et magnetismi, quæ olim incredibilia et miraculosa videri potuissent, ob ignorantiam scilicet causarum ac virium naturalium! Ita ergo timendum forte est, ne quæ sint in natura occultissimæ virtutes, ex quibus omnia miraculosa phænomena proficiscantur. Augetur difficultas ex præmissa superius doctrina circa efficientem causam miraculorum. Cum enim angeli, sive boni sive mali, multa efficere valeant sua propria virtute, quæ miraculosa omnino appareant, et essent reapse talia, si per virtutem divinam fierent, non tamen sunt, si ab Angelis propria virtute producantur; quo pacto, quave arte innotescere nobis poterit, quænam illorum causa hic et nunc extiterit, cum et Deus et creati spiritus corporei sensus aciem penitus effugiant? Ex altera vero parte, nisi verum miraculum discernere possimus, frustra illorum possibilitas a nobis vindicanda est, frustraque illa patnaverit unquam Deus: immo vero nec admittere necesse erit illa, quæ in Sacris Litteris narrantur, nec poterit exinde ullum ad confirmandam catholicam veritatem repeti argumentum, id quod salva Fide consistere non potest.

122. PROPOSITIO. Non desunt indicia ad miracula certo cognoscenda, et ab omni eventu naturali discernenda.

Est veritas definita in sacrosancto Concilio Vaticano iis verbis, quæ in præcedenti articulo scripta reliquimus.

Prob. 1.^o A priori, eo argumento, quod nuper innuimus. Certum enim est miracula possibile esse, nec posse ob alium finem effici, nisi ut hominibus suam Deus gloriam excellentiori quadam ratione per illa patefaciat, tamquam per certissima veritatis signa et testimonia, quemadmodum agentes de causa eorum finali declaravimus. Ergo necesse est, ut possint certo in seipsis cognosci. Hæc enim est naturalis conditio signi objectivi, ut prius in se cognoscatur; siquidem quod ignotum est, nequit profecto nos in alterius cognitionem ducere.

Prob. 2.^o Ad hoc ut verum miraculum certo dignosci, ac discerni queat ab omni eventu naturali, duo necesse ac satis est, ut nobis innotescant: α) veritas facti vel operis, quod miraculosum dicitur, et β) veritas miraculi, quod nempe sit

Dantur miraculi
cognoscendi
certis criteriis.

opus supra ordinem totius naturæ creatæ. Atqui duo hæc certo nobis innotescere queunt. Ergo...

Prob. Minor. per partes *α*) *Constare potest veritas facti.* Miraculum enim est factum sensibile. Atqui facta sensibilia certo cognosci possunt in sua realitate, vel per propriam experientiam, si ipsi nos ea perspeximus simul cum aliis; vel per aliorum testimonium fide dignorum iis in adjunctis, in quibus illi nec decipere nec decipi potuerunt, secundum ea, quæ in *Logica* diximus.

Dices 1.^o Si vera sunt, quæ superius ipsi scripsimus de potestate, quam dæmones habent illudendi hominibus per varia phantasmata et præstigias, timeri poterit, ne nobis vere coram adesse videatur aliquid, quod nusquam est.

Resp. Præstigiæ timendæ non sunt, ubi plures idem factum observant, ac potissimum ubi factum illud diu permanere cernitur; præstigiæ siquidem et illusiones subinde evanescent, ac dissipantur.

Dices 2.^o Opus miraculosum referunt testes, qui quantumvis fide digni habendi sint, solam præbere possunt moralem certitudinem pro existentia illius; contra existentiam autem adest physica certitudo fundata in legum naturalium constantia. Quare contra falsitatem testimonii sola militat moralis impossibilitas; at contra veritatem vel existentiam facti physica impossibilitas adest. Atqui moralis certitudo physicæ, moralisque impossibilitas cedat physicæ impossibilitati, necesse est. Ergo ubicumque occurrat narratio facti miraculosi, illico a priori repudianda est, vel tamquam mendax, vel tamquam puræ illusionis effectus (1).

Resp. dist. Minor. Ubi constet nullam adesse in legibus physicis exceptionem, *conc.* secus, *neg.*

Tum *neg.* conseq.

(1) Cfr. Hume, cujus hæc sunt verba: «Facilius est mille testes errare aut decipi, quam factum legibus naturalibus repugnans existere: primum moraliter tantum impossibile et experientie consonum; secundum vero physice impossibile et experientie contrarium est. In omni porro miraculo contra unum testem mille insurgunt: sic e. g. si unus testetur mortuum resuscitatum fuisse, milleni testes affirmant mortuos ad vitam haud redire». Apud Em. Card. Mazzella, de *Relig.* et *Eccles.*, disp. 1, art. 10, n. 207.

Certitudo physica innititur constantiæ legum physicarum, quam jam demonstravimus non esse adeo necessariam, quin possit aliquam interdum pati exceptionem per divinam omnipotentiam: quare tum solum obtinet, ut constat etiam ex dictis in *Logica Majori*, cum nulla adest probabilis ratio suspicandi vel formidandi contrarium. Nam cum adest probabilis ejusmodi ratio, prudens est formidare vel assensum retinere. At cum aliquis aut ipse rem physicis legibus contrariam observat, aut ab aliis fide dignis narratam audit, vel legit in iis præserim adjunctis, quæ omnem deceptionis ac mendaciæ suspicionem prudenter excludant, non solum habet prudentem rationem formidandi contrarium, sed etiam prudenter agendo non potest non certo judicare, quod exceptio aliqua in legibus physicis contingerit, atque adeo factum, quod aut coram adest, aut a talibus testibus refertur, quantumvis contrarium legibus, verum esse non autem phantasticum vel apparens.

Prob. Minor. quoad alteram partem: *β*) *potest constare veritas miraculi.* Et in primis nullum est hac in re dubium respectu operum, quæ superant naturam vel in se vel ratione subjecti, ut si sermo sit, v. g. de corporis glorificatione, vel de corporum compenetracione, vel de mortui ad vitam resurrectione, vel de restitutione amissi visus vel amputati membri. Hæc enim talia sunt facta, in quibus veritas operis separari nequit a veritate miraculi, ut per se patet: ac proinde si constat opus verum esse, non autem phantasticum, nihil jam amplius est inquirendum.

Difficultas autem est circa tertii ordinis miracula, quæ nimirum nec secundum substantiam, nec ratione subjecti, in quo fiunt, vires naturæ transcendunt; talia enim vel ab ipsa natura vel certe ab angelis per modum artis occulte applicando activa passivis effici potuerunt. Verum hæc quoque constare sæpe possunt ex adjunctis: et primo quidem ex operis modo, ac potissimum si momento temporis peracta fuerit, v. g. sanatio vel repentina virium recuperatio: certum enim est agentia et media naturalia, etiamsi occulte adhibeantur, tempus requirere ad agendum. Deinde si sanatio miraculosa contingit solo nutu vel ad vocem vel imperium alicujus sancti viri post effusas ad Deum preces, vel per

contactum manus, vestis vel reliquiæ: plane enim liquet hæc esse media naturaliter inepta ad talem obtinendum effectum. Denique sæpissime, quod nullum hic et nunc remedium naturale etiam invisibili modo applicetur, cognosci facile poterit tum ab adstantibus, qui omnia circumspiciunt, tum ab ipso met homine, in quo fit miraculum, qui dummodo vigilet, sique sit compos, persentiscet profecto, si quod sibi remedium naturale applicatur. Quæ cum ita sint, etiamsi effectus in se vires naturæ corporeæ non superet, constare potest, illum hic et nunc sola divina virtute productum esse, non vero per naturæ creatæ vires, quantumvis occulte vel ab ipsis angelis applicatas. Et hæc sufficiunt ad propositam veritatem probandam: neque enim contendimus posse omnia prorsus vera miracula semper prout talia cognosci.

Illud tamen addo, si quando neque hiæc neque alii modis constare possit, utrum eventus hic et nunc contigerit sola virtute divina, an vero ex viribus naturalibus alieujus causæ creatæ occulte artificioseque operantis; pro miraculoso in praxi haberi posse, dummodo satis constet, illum 1.^o neque ex constiæto causarum, unde proficisci naturaliter potuisset, modo operandi; 2.^o neque ex illusione demonum; 3.^o neque ex fraude atque arte, sive humana sive diabolica, contigisse. Atqui hæc sæpe innotescere queunt. Ergo.

Prob. Major. Nam si quod opus constat, neque ex naturalibus viribus solito modo agentibus, neque humana vel diabolica fraude esse patratum, fieri non potuisse dicendum est, nisi vel divina virtute vel virtute creata angeli. Utrobet autem modo contigerit, eundem re vera valorem habebit in praxi relate ad finem, ad quem a Deo ordinatur operatio miraculosa. Etenim quamvis a naturali virtute angeli processisset, ideoque non fuisset, secundum nostram quidem sententiam, stricte ac proprie miraculum; cum tamen angeli boni nec velint, nec possint communem corporeæ naturæ ordinem perturbare, nisi præcipiente, aut saltem permittente ac precibus illorum cedente Deo, multoque minus possint ejusmodi perturbationem ad decipiendos homines falsumve aliquid obtrudendum ordinare, sed tantum ad ostendendam gloriam Dei summi conditoris verumque

testandum; certum est quidquid angeli boni faciant, sive ad confirmandam religionem, sive ad similem alium finem summpere valere. Tale enim opus est quoddam testimonium angeli boni; testimonium autem angeli boni sigillum veritatis est. Quare Benedictus XIV fuse probat opera miraculosa, quæ virtutem corporeæ naturæ transcendunt, quamvis talia sint, quæ a bono angelo effici suis propriis viribus poterint, in causis Beatificationis et Canonizationis instar verorum miraculorum admitti posse, dummodo constet omnem in illis abfuisse fraudem sive humanam sive diabolicam (1). Sic v. g. si quis sanctus vir per extasim raptum per aërem fuisset, dummodo probetur nullam in eo facto intercessisse operationem diaboli vel occultum aliquid humanum artificium; pro dono Dei singulari ac sanctitatis indicio haberi potest, quamvis forte non constet, num ab ipso Deo immediate, an medio angelo e terra elevatus steterit.

Probatur ergo Minor. Et 1.^o quidem constare potest, opus non prodiisse ex propriis causis vel viribus naturalibus, consueto modo agentibus. Nam ad hoc necesse non est cognoscere omnes vires naturæ *positive*, sed tantum *negative*, quatenus nempe compertum sit nullas hic et nunc, pares effectui producendo causas adhibitas fuisse. Atqui sæpe manifestum est nullam causam applicari, ut si sola manu impositione jam moriturus recipiat sanitatem cum pleno virium robore; vel eam, quæ forte applicata est, ineptam prorsus esse mirabili operi edendo, ut cum, clangentibus sacerdotibus et populo conclamante, muri civitatis Jericho funditus corruerunt (2), vel cum umbra transeuntis S. Petri sanabat ægrotos (3), vel cum visus cæco redditus est luto et saliva (4).

2.^o Constare potest abfuisse fraudem vel artem humanam. Fraus enim potest esse vel in subjecto, in quo fit effectus, fingendo v. g. morbum, quem non habet, vel in operante. Et in subjecto quidem sæpissime liquet nullam esse posse

(1) Vide Benedict. XIV, Oper. cit., lib. 4, cap. 6, a n. 6

(2) Josue, cap. 6.

(3) Act. Apost. cap. 5, v. 15.

(4) Joann. cap. 9.

fraudem; adsunt enim morbi vel defectus manifestissimi, ut in claudo, qui ad portam speciosam templi Hierosolymitani petebat eleemosynam (1), et in paralytico, qui a triginta et octo annis jacebat in lecto (2), atque in aliis et medicorum et adstantium omnium testimonio notissimis. Quod vero nulla usus fuerit operans fraude vel arte per occultam aliquam naturalium causarum applicationem, sciri certo potest ex adjunctis personarum, finis, loci publici, modi operandi cæterisque.

Opera divina
multipliciter
a diabolicis
distinguuntur.

3.^o Denique potest etiam patere generatim ex adjunctis, quod opus non sit patratum arte vel fraude diabolica. Opera enim divina quintupliciter a diabolicis distingui possunt ex doctrina S. Thomæ: primo efficacia et veritate; vera enim miracula continent realem ac verum effectum, at in operibus diaboli sæpe nihil est solidum, vel certe nihil ad perfectionem adductum, sed vel pura ludibria et præstigiæ, vel solæ inchoationes ac tentamina quædam verorum effectuum. Secundo differunt duratione, nam quæ arte diabolica conficta sunt, diu perdurare nequeunt. Tertio fine, quia vera miracula fiunt ob gloriam Dei, vel charitatem proximi, vel commendationem virtutis, vel confirmationem veritatis; at falsa vel ob vanitatem, vel ob lucrum, vel ob ruinam animarum, eversionem veræ Fidei sanctorumque morum, aliumve inhonestum finem. Quarto distinguuntur modo: vera enim patrantur vel oratione vel invocato pie ac reverenter nomine Dei, falsa autem incantationibus, verbis aut signis inusitatis aliisque deliramentis. Quinto demum utilitate, quia vera miracula semper magnam aliquam afferunt utilitatem vel animæ vel corpori vel utrique; at diabolica opera vel vana prorsus et inutilia sunt, vel sæpe etiam nociva; est enim dæmon inimicus humani generis, quos non beneficiis cumulare, sed perdere ac post miseram et scelestam vitam in inferos deducere vehementer exoptat (3).

(1) Act. Apost. cap. 3.

(2) Joann. cap. 5.

(3) Signa facta per bonos possunt distingui ab illis, quæ per malos fiunt, tripliciter ad minus. Primo ex efficacia virtutis operantis; quia signa facta per bonos virtute divina fiunt in illis etiam, ad quæ virtus activa naturæ se nullo modo extendit, sicut suscitare mortuos

Dices. Hæc omnia nondum sufficere ad verum miraculum discernendum, quia potest absque ulla fraude et nulla adhibita naturali causa extrinseca et visibili opus contingere mirabile, potissimum in morborum curatione, vi nempe imaginationis atque internæ spei ac persuasionis de obtinenda sanitate, quæ non raro stupentibus omnibus felicem effectum consecuta est.

Resp. Fateor quandoque dubium esse posse de natura operis, cum sermo est de curatione alicujus morbi provenientis ex nervi systematis perturbatione; exploratum siquidem est, quanta sit phantasie cum hoc systemate alterandum, quantumque valeat illa ad hujus statum alterandum (1). Ubi autem sermo est de aliis curationibus, ac potissimum si læsio aliqua organica intercesserit, suspicio nulla restat de influxu imaginationis, quippe qui eo pertingere nequit, ut ipsa organa læsa subito nullo adhibito remedio restauret.

Illud demum generatim notandum venit, si quid fiat contra veritatem catholicæ doctrinæ morumque christianorum sanctitatem, miraculum esse non posse, quia nequit a Deo procedere vel a bono angelo. Si quod autem opus mirum fiat, in quo quia sancta omnia adjuncta apparent, nullo indicio detegi, vel saltem timeri prudenter queat, occulta aliqua fraus diaboli, videtur Deo esse omnino adscribendum. Quanquam

et hujusmodi, quæ dæmones secundum veritatem facere non possunt, sed in præstigiis tantum, quæ durare non possunt. Secundo ex utilitate signorum. Quia signa per bonos facta sunt de rebus utilibus, ut in curatione infirmitatum et hujusmodi; signa autem per malos facta sunt in rebus nocivis vel vanis, sicut quod volani in aëre, vel reddunt membra hominum stupida, et hujusmodi. Tertia differentia est quantum ad finem. Quia signa bonorum ordinantur ad ædificationem fidei et bonorum morum, sed signa malorum sunt in manifestum nocentium fidei et honestatis. Et quantum ad modum differunt. Quia boni operantur miracula per invocationem divini nominis pie et reverenter, sed mali quibusdam deliramentis, sicut quod incidunt se cultris, et hujusmodi turpia faciunt. Et ita signa per bonos facta manifeste possunt discerni ab illis, quæ virtute dæmonum fiunt. (S. Thom. 2.^o dist. 7. quæst. 3. art. 1. ad 2.^{um}). Cfr. Suarez (de Fide, disp. 4. sect. 3. n. 9), Benedict. XIV, (Op. cit., lib. 4. cap. 4).

(1) Qua de re vide fuse disserentem Benedictum XIV seu Prosperum Lambertinum, Op. cit., lib. 4. par. 1.^o, cap. 33, ubi de imaginatione et ejus viribus.

enim ut præclare docet Eximius Doctor, «non pertinet ad providentiam Dei non permittere falsa signa, quum ad probationem et profectum electorum prosunt: sed pertinet ad providentiam Dei dari auxilium, ac modum, quo possint dijudicari, et cognosci, quia non est divinæ bonitatis et sapientiæ, ut permittat hominem tentari ultra id, quod potest. Ac propterea quando, facta morali diligentia et investigatione, adhuc constat evidenter vera esse miracula, quæ fiunt in confirmationem doctrinæ, nulla relinquitur ratio dubitandi de talis doctrinæ veritate, præsertim si miracula sint frequentia, et magna auctoritate ac potestate facta, et vitæ innocentia ac sanctitate confirmata, et in ipsa doctrina nihil contra honestatem, nihil contra rationem rectam, nihil denique contra alias divinas revelationes appareat». Quare, «quando sunt falsa miracula, uti docet idem Suarez, semper relinquitur aliquis modus, quo moraliter possint dijudicari, si homines, quod in se est, faciant ad cognoscendam veritatem. Primo, bene considerando ipsamet opera signaque et circumstantias eorum. Secundo, considerando personam, vitam et mores ejus, qui sic loquitur, et operatur. Tertio, considerando doctrinam ipsam, an aliqua in parte rationi adversetur, vel alii revelationibus divinis sufficienter propositis». (1).

Dices. Perperam adduci veritatem doctrinæ catholicæ ad discernenda vera a falsis miracula, quandoquidem hæc ipsa ad catholicæ doctrinæ confirmationem fieri superius docuimus. Id enim quid aliud est, quam vitiosum circulum in probationibus inducere?—Resp. *neg.* assert. Aliter enim est loquendum de primis miraculis, qui a Christo Domino et Apostolis ad stabiliendam revelatæ Fidei veritatem gesta sunt, et aliter de miris operibus, quæ nunc fiunt, postquam jam tum ex prioribus miraculis tum ex aliis signis credibilitatis veritas christianæ Religionis certissime demonstrata manet. Nam prima illa miracula non probantur ex ipsa doctrina, ad quam confirmandam facta ea sunt, sed tanta fulgent evidentiâ tamque manifeste sunt, saltem plura illorum, supra ordinem totius naturæ creatæ, ut soli Deo tribuenda sint, quemadmodum Theologi ostendunt: tales sunt

(1) Suarez, de *Mysteriis Vitæ Christi*, disp. 31, sect. 2, n. 8.

v. g. resurrectiones mortuorum et partus virgineus et penetratio corporum facta a Christo Domino, cum et lapidem sepulchri penetravit, et domum, in qua discipuli erant congregati januis clausis propter metum Judæorum (1), in corpore glorioso est ingressus. In his ergo miraculis, quæ ad ostensionem veritatis doctrinæ alicujus patrantur, sufficit, considerare, num doctrina illa manifeste in seipsa repugnet. Semel autem invicte probata Fidei christianæ veritate, si quis eam adduxerit ad falsitatem alicujus diabolici operis convincendam, nullum profecto vitiosum circulum committet, ut satis per se patet.

Ex his facile dissolvitur ratio dubitandi initio proposita. Nam nemo profecto perspectas habet omnes omnino naturæ vires, ita ut de omnibus affirmare tuto possit, quousque se earum efficacia extendat; at perquam sæpe potest homo sive doctus sive rudis, ipsa experientia duce, cognoscere quousque non possit illa pertingere. Atque ut in re concreta exemplum ponatur (a quo semper fugiunt adversarii, ut intra abstractionum latebras sese tegant), etsi fateamur nescire nos quousque se attollat nobilissima medicinæ ars, certo tamen scimus, nullum medicum solius voluntatis nutu vel voce quempiam infirmum sanare, os confractum consolidare, mortuum ad vitam revocare: quæ si contingerent, quis ambigat de miraculo? (2). Non ergo necesse est scire, quid valeant vires naturæ in quibusvis adjunctis; sed satis est nosse hic et nunc nullas intervenire naturæ vires effectui proportionatas. Et hæc quidem relate ad miracula tertii generis, quæ solum quoad modum, quo fiunt, superant naturam. Relate autem ad miracula primi et alterius generis, quæ sive quod rei substantiam sive quoad subjectum, in quo efficiuntur, naturam transcendunt, dubium esse nequit; talia enim sunt opera, quibus edendis nulla virtus naturalis, fatentibus cunctis, sufficere valeat. Quod autem addebat de mirabilibus operibus, quæ calori, electricitati et magnetismo debentur, nihil habent commune cum miraculis. Neque videri unquam potuit miraculosum id, quod ex causarum naturalium viribus

Dissolvuntur rationes dubitandi initio propositæ.

(1) Joann. cap. 20.

(2) Perrone, de *vera Religione*, cap. 3, n. 141.

consequitur. Vera autem miracula sunt, quæ vel nullis naturæ viribus fieri possunt, vel saltem hic et nunc fiunt absque illis sola divina virtute: quæ opera cognosci a nobis certo posse, cum fiunt, abunde probatum est.

Alterum etiam argumentum, quod petebatur ex miris effectibus, quos producere queunt angeli, satis explicatum manet. Cætera vero, quæ objici solent, facile solvuntur ex dictis (1).

Operationes
magnetismi,
spiritismi atque
hypnotismi
nihil habent
cum miraculis
commune.

123. SCHOLION. Hic tractari posset de quibusdam operationibus miris, quæ sub nomine potissimum *magnetismi*, *spiritismi* et *hypnotismi* nostris diebus sermone omnium ubique percrebrescunt, quæque sæpe ad plebeculæ pascendam curiositatem a circulatoribus, a multis medicis ad morborum etiam curationem obtinendam adhibentur. In hisce phænomenis gaudent materialistæ ac rationalistæ non pauci optimum se nactos esse armorum genus ad omnem miraculorum ordinisque supernaturalis fidem elevandam, atque adeo ipsam religionis catholicæ, quæ miraculis fundata et propagata est, veritatem adoriendam. Enimvero quid aliud sunt miracula, inquirunt, quorum causam et principium præceps christianorum credulitas et præteritorum ignorantia temporum in quadam altiori ac divina virtute reponerat, nisi opera et phænomena iis prorsus simillima, quorum nos ipsi sæpi testes sumus, quæ nos ipsi, quoties libet, per certa media processusque omnibus notos obtinemus? Atqui nihil in his omnibus est, quod naturæ ordinem viresque superet, nihil quod interventum causæ alicujus virtutisve altioris requirat. Ergo quæ *miracula* vocitantur a christianis, opera sunt omnino naturalia, sicut reliqua omnia naturæ phænomena: verbo, miracula veri nominis nulla dantur, nec dari queunt (2).

(1) Legi potest in hanc rem Prosper Lambertinus, Op. cit. lib. 4, ubi a cap. 8.^o fusissime ostendit, quanta opus sit prudentia, quantumque reapse adhibeat Ecclesia in judicandis variis factis miraculosis.

(2) Ipsemet Charcot, peritissimus medicus Parisiensis, postquam descripsisset subitanam hysterice paralysis curationem ope hypnotismi obtentam, talia scribere non erubuit: «C'est là un exemple de

Ad hanc solvendam difficultatem, possent et Major et Minor syllogismi ad trutinam revocari. Verum accuratior plenaque tractatio Minoris multarum rerum cognitionem postulat, quæ ad *Physiologiam* et *Psychologiam* spectant, atque adeo melius ad opportuniorem locum amandanda esse nobis videtur. Solum ergo ad Majorem brevissime nunc respondendum est.

Major porro falsissima est omnique plena dolo: quamobrem quidquid de Minori dicendum sit, sive nihil prorsus esset in phænomenis magnetismi, spiritismi et hypnotismi, quod vires et ordinem naturæ sensibilis transcederet, sive essent quædam, quæ per solas naturæ physicæ vires explicari non possent; nihil penitus conficitur isto argumento contra miraculorum veritatem, ut statim apparebit. Quod vero phænomena magnetica, spiritistica et hypnotica nihil habeant commune cum veri nominis miraculis, facile concluditur ex hactenus disputatis. Primo, quia in primis dantur miracula, quæ sunt supra et contra naturam, quæque vel ratione operis in seipso spectati, vel certe ratione subjecti, in quo fiunt, superant omnem creatam virtutem, sive corpoream sive incorpoream, sive sensibilem sive spirituales. Talia sunt v. g. compenetratio corporum, resurrectio mortui, restitutio visus, vel membri amputati. Atqui multa prostant ejusmodi miracula in libris sacris ac certissimis Ecclesiæ anualibus. Ergo nec miraculorum nec catholicæ religionis veritati quidpiam timendum est ex operationibus magnetismi, spiritismi et hypnotismi. Nihil enim est in hisce operationibus, quod ad præstantiam accedat miraculorum illorum, quæ ad primum et secundum genus pertinent ex superius declaratis. Id utro fatentur adversarii, immo vero contendunt opera omnia, quæ sint supra vel contra naturam, repugnare prorsus, ac proinde a viro, qui omni litterarum scientiarumque cultura non careat, repudianda esse. Cumque id ratum fixumque habeant; si quod factum in historia reperiant, quod naturæ

guérison *miraculeuse* qui en explique beaucoup d'autres. Rien de mieux établi que ces faits dont, pour mon compte, j'ai été témoin plus d'une fois». Apud P. De Bonniot, *Le Miracle et ses Contre-açons*, Préface, pag. IX.

vires superare videatur, illico aut mendacem pronuntiant historiographum, aut certe credulum et ignarum, qui vel falsis rumoribus fabellisque nimis dociles præbuerit aures, vel perperam facta interpretatus sit, supra vel contra naturam facile reputans illa, quorum causas, quantumvis in se ipsis naturales, detegere atque explorare non potuisset. Atqui hoc argumentandi genus insanum est, indignum Philosopho, indignum sincero ac veraci naturæ inquisitore, indignum rationali homine. Sane vetant leges, quibus ipsa ratio regitur, ne quidpiam obfirmato animo tanquam certum assumatur, quod vel evidens per se non sit, vel idoneo argumento non demonstretur, multoque magis si contrarium manifeste probari possit. Ratio pariter suadet facta testimonio eorum comprobata, quos et veraces fuisse et rem, quam narrabant, compertam atque exploratam habuisse *moralī cum certitudine* innotesci, recusari nullatenus posse, nisi velimus omnem penitus historicam fidem evertere (1). Jam repugnancia operum, quæ vel contra vel supra omnes vires naturæ creatæ sunt, neque evidens est in seipsa, neque evidenti ratiocinatione ostenditur, sed e converso evidenter absurda demonstratur, ut superius vidimus. Opera vero et supra et contra naturam divina virtute patrata tanta tamque irrefragabili testium omni exceptione majorum auctoritate constant, quanta certissima quæque facta historica, ut ea vel sola sufficerent ad probandam miraculorum possibilitatem, si hæc aliunde non demonstraretur invicte. Absurdi ergo sunt, quicumque miracula ejusmodi ex præjudicatis erroribus agnoscere renuunt. Atque adeo certum est miracula saltem multa longissime distare ab operationibus magnetismi, spiritismi et hypnotismi.

Verum non solum primi et secundi, sed tertii quoque ordinis miracula, videlicet illa opera, quibus edendis adsunt vires in natura creata, licet hic et nunc de facto non adhibeantur, nihil habent commune cum phænomenis magneticis aliisque id genus. Id constat, sive spectetur persona operans, sive modus et finis operandi, eo fere pacto, quo superius ostendimus posse miracula veri nominis discerni a

(1) Vide *Logic. Major.*, n. 131, pag. 616 seqq.

falsis atque ab omni opere naturali ac diabolico. Enimvero magnetica ista spectacula exhibent viri plerumque pietate minime conspicui, qui sæpe quæstum, recreationem, vanam curiositatem vel artis medicæ exercitationem spectant, qui religionem nihil curare videntur, qui gravissimis adhærent erroribus in Fide, immo vero qui eo forte ipsa hæc opera dirigunt, ut catholicam veritatem impugnent, et miracula Christi Domini ac Sanctorum blasphemæ irrideant, aut certe in dubium revocent. In modo autem operandi etiam tum cum abest omnis jocularia levitas, nihil certe reperias, quod sanctitatem spiret, quod religionem pietatemve sapiat, quod animos ad res divinas convertat. Quidquid ergo obganniat inepta quorundam scolorum garrulitas, comparari opera magnetica nequeunt veris miraculis. Vel enim talia sunt illa opera, quæ secundum vires legesque naturales explicari queant, vel talia quæ omnem naturæ corporeæ ac visibilis virtutem superent: et prima quidem procul absunt a dignitate miraculi; altera vero certissime a dæmonis occulta fraude proficiscuntur, nec proinde confundenda sunt cum miraculis, prout suo loco videbitur in *Psychologia*, ubi Deo favente, quæstio hæc tractanda erit fusius et accuratius.